DE
SIGNIS CANCRI

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS VENIA

PRO GRADV DOCTORIS

A. D. XXIII. AVGVST. CIↃIↃCCLXXXII.

DISPVTABIT

FRIDERICVS STEPHAN

AA. M. MED. BACC. ET SOCIET. NAT. CVR. HAL. SODAL.

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA.

ЕГО ПРЕВОЗХОДИТЕЛЬСТВУ

ГОСПОДИНУ

АЛЕКСѢЮ АЛЕКСАНДРОВИЧУ РЖЕВСКОМУ,

Ея Императорскаго Величества дѣиствителному каммергерру и Государственной медицинской Коллигіи Пресиденту

МИЛОСТИВОМУ ГОСУДАРЮ МОЕМУ.

DE

SIGNIS CANCRI.

Non deerunt puto, qui hoc libello ad manus ſumto mirentur, argumentum et perdifficile, et noſtris temporibus, poſt *Störckium* imprimis, doctiſſimorum medicorum diſputationibus agitatum, a me denuo retractatum fuiſſe. Illos tamen rogo, vt meminerint, ſcriptiunculas academicas, quibus exarandis et propugnandis, artis ſalutaris diſcipuli tirocinium ponere conſueuerunt, non tam ex rerum nouitate, quam potius, ex earundem vtilitate, aeſtimandas eſſe; quippe cum diuturnus demum vſus, in noſtra potiſſimum arte,

veros genuinosque inuentores pariat. Equidem dummodo me non prorſus inutilem operam in arte medica ediſcenda poſuiſſe, ex hac breui diſſertatione appareat, maiorem gloriam me aſſecutum eſſe arbitror, quam ſi nouaturiendi ſtudio, a ſummorum in arte medica virorum monitis deflecterer.

Vt vero de cancri ſignis ſcribere apud animum conſtituerem, effecit potiſſimum maxima illa celeberrimorum auctorum in hac ipſa re diſcrepantia. Vt enim ſunt, qui vix omnino certa et indubia cancri ſigna dari exiſtiment *a)* ita et alii facillimo negotio huius mali indolem cognoſci poſſe opinantur. Me quidem non fugit, Cl. BIERCHEN iam ante hos octo et quod excurrit annos, de cancri ſignis, et finibus inter hoc malum aliosque conſimiles morbos rite conſtituendis, egregie, etſi non ita, vt nihil intactum reliquerit, ſcripſiſſe *b)*; nihilominus tamen et mihi liceat pro virili parte colligere, quae in cancri variis ſpeciebus animaduertenda ſunt, quaeque ad naturam huius mali indagandam, et ab omnibus aliis dignoſcendam faciunt.

Si

a) vid. Ill. RICHTER Obſ. chir. Faſc. III. p. 43.

b) Vid. BIERCHEN Abhandlung v. d. wahren Kennzeichen der Krebsſchäden, a. d. Schwediſchen überſ. von Murray. 775. et quae circa hunc librum monet RICHTER in Bibl. chir. T. II. Sect. 2. no. 8.

Si vero, quos morbos auctores, recentiores praesertim, cancri nomine salutare consueuerint, paulo accuratius perpendimus, pro ratione loci affecti duplex potissimum illorum genus esse facile apparet, alterum quod in parte glandulosa, alterum quod vel in locis glandularum expertibus vel certe non in glandulis existit. Sunt quidem multi auctores, qui cancrum non nisi in parte glandulosa enasci putent; sunt etiam, qui nisi scirrhus praegressus sit, cancrum vix adesse asseuerent, ipsisque huius mali definitionibus hanc opinionem stabilire conati sint *c)*. Etsi vero cancrum vt plurimum in glandula haerere inficias nequaquam iuerim, tamen, quam supra proposui diuisionem, obseruationibus corroborare et cancrum partes quoque non glandulosas interdum exedere demonstrare conabor. RICHTERVS *d)* scilicet, et ante illum multi alii, partes glandulosa fabrica destitutas pessimos subinde cancros, nullo etiam praegresso scirrho, inuadere docuerunt, quod quidem imprimis apparet in cute, et musculis, in quibus certe non facile quisquam glandulas demonstrare poterit. Refert Cl. BIERCHEN *e)* iuueni in scorbutum procliui

 multas

c) BOERHAAVE in aph. de cognos. et cur. m. 492. . . LINNÉ gen. morb. n. 252. p. 37. (74.) De his qui exemplo CELSI lib. 5. cancri nomine alios morbos, imprimis vlcera maligna et late serpentia nuncuparunt, e. g FELICE PLATERO, TVLPIO et aliis plura hoc loco monere nolui.

d) RICHTER l. c.

e) BIERCHEN. p. 115.

multas verrucas papillosas et maculas liuidas squamosas in facie propullulasse, quibus sale tartari liquido inunctis euenit, vt cancrosum vlcusculum nasceretur, quod tandem intempestiua medicatione in pessimum cancrum abiret. Habet et aliud exemplum sacerdotis cuiusdam, qui ex leui pustula faciei non suppurata, temeraria irritatione adhibita, peius priore malum contraxerat. IACOBVS HILL *f)* quem tamen in chirurgia cancri maiorem operam, quam in eiusdem indole definienda posuisse fateor, praeter alia cancri sine scirrho enati exempla, viri cuiusdam mentionem iniicit, cui pes ambustus cancro depascebatur. Adde quae SWIETENIVS *g)* circa hanc rem monet, vnde luculenter apparet, glandulam nullo modo pro sede huius mali vnica habendam esse. Haud quidem ignoro, Cl. ASTRVC *h)* glandulas cutis miliares hoc in casu vitiatas accusasse, quippe quae vel ipsae cancrosa materia corrumpi, vel ab induratis vlceribus cancrosis pressae in consensum trahi queant. At cum nulla ratione pateat, cur cancer ab erosa cute labiorum vel ipsorum fissura ortus *i)* indurationi glandularum tribuendus sit, summo

f) IAMES HILL Cases in Surgery. p. 9.

g) Comment. in H. BOERHAAVE aph. p. I. p. 878. ad aph. 496.

h) ASTRVC Traité des tumeurs et des ulceres T. II. chap. 1.

i) VAN SWIETEN l. c. »Si quis iam vellet, verrucas in locis cute tectis plerumque duriores sub generali scirrhi definitione posse com-

mo potius iure ad papillas nerueas respiciendum est, quas hoc malo vehementer affici vel ex eo cognoscitur, quod in multis cancri speciebus, setarum instar attolluntur et excrescunt.

Fuerunt tamen, qui hunc morbum in glandulis aeque ac in locis glandularum expertibus oriri posse opinati, postremum tamen genus cancri nomine haud insigniendum esse censuerunt *k)*. Litem istam, quae de verbis modo agitur, facile componere poteris, SWIETENII exemplo *l)* qui cancrum fungosum appellat. Mallem vero alterum cancri genus glandulosi aut genuini, alterum spurii aut fungosi nomine distinguere *m)*. Poterat forte a quibusdam obiici, ne tunc quidem omnes cancri species duplici hoc genere posse comprehendi; cum obseruatum sit, scirrhum non semper in parte glandulosa oriri, et scirrhum tamen omnem in cancrum posse abire, ita vt haec diuisio interueniente tertia quadam specie corruat. Deinceps

comprehendi, opponi tamen posset, in labiis molles saepe tales fungos excrescere nec minus malignos tamen.«

k) PEYRILHE Differt. de Cancro. p. 6. not. b. »Si sint tamen, quibus haec nostra definitio non arrideat, hos rogatos volumus, vt attendant, quantum a cancro vero vlcera cancroidea discrepent.

l) VAN SWIETEN. l. c.

m) Cancer genuinus alia significatione BIERCHENIO dicitur, quod postea patebit, vti et fungosus. . . Omnis profecto cancer fungosus est, vtpote semper plus minusue excrescentiis fungosis stipatus.

ceps etiam, quod cancri interdum ex aliis tumoribus et vlceribus enaſcantur, cum noſtra ſententia non omnino congruere videtur; quare de his infra commodo loco circumſpiciendum erit.

Iam ad primam cancri ſpeciem deſcribendam (cancrum genuinum) redeo. Antequam tamen hoc faciam, experiendum primum erit, num auctorum circa rem mox proponendam diſcordia quocunque demum modo componi queat. Alii enim ſcirrhum cancrumque a ſe inuicem prorſus ſeparandos eſſe iudicant, alii vero vtrumque non niſi modum quendam et formam vnius eiusdemque morbi eſſe cenſent. Certum eſt ſcirrhum *vt plurimum* in cancrum verti, ita vt exinde concludere liceat, exitum ſcirrhi maxime ſolennem cancrum eſſe. Quo minus tamen ad ſententiam illorum, qui ſcirrhum cancrumque ad vnum morbi genus reuocant, accedam, obſtat, quod interdum glandula ſcirrhoſa non in cancrum, ſed in vlcus bene ſuppurans vertatur *n)*. At enimuero, cum ſcirrhus ſaepiſſime in

n) Aderatne Scirrhus verus ſiue exquiſitus? HILL. p. 23. . . RICHTER. l. c. p. 46. Cum quo tamen non omnino conſentio, etſi ipſe p. 43. dicit »et in partibus ſcirrho affectis vlcera oriri poſſe, quae cancroſa non ſunt, ſequens niſi fallor, probabit obſeruatio.« . . . Tunc enim mamma morbo duplici affecta erat; ſcirrho ſcilicet, non maligno tamen vel cancroſo, et vlcere; ex ſaburra praecordiorum acri orto.

in cancrum abeat, nec vnquam fere nisi scirrho praegresso partem glandulosam occupet; equidem eorum partibus magis addictum me esse fateor, qui scirrhum et cancrum vnius morbi diuersas tantum formas esse arbitrantur. Caeterum nec illis aduersabor, qui vario nomine varios etiam morbos insigniri autumant, cum hoc etiam aliis morbis familiare sit, vt, qui morbus primum hoc vel illo nomine appellare solet, subsequenti tempore variis symptomatibus incidentibus, alia prorsus nomina sortiatur.

Cum itaque scirrhus prima cancri (genuini) stamina contineat, videndum nunc erit, quibus signis scirrhus ab aliis tumoribus, praesertim glandularum dignoscatur. Apud ASTRVCIVM *o)* quinque signa pathognomonica scirrhi leguntur, quae hic recensere non incongruum erit: α, durities et renitens tensio, qua fit, vt pars affecta digito prementi aegrius solito, imo parte inflammata difficilius cedat; β, doloris, tum sub ipsa pressione, tum illa cessante absentia; γ, color partis naturalis non mutatus, nisi quod interdum vernice quasi obducta cutis appareat *p)*; δ, calor

o) ASTRVC l. c.

p) Quod tamen vix concedam. Sub initio morbi color quidem naturalis est, at, vbi scirrhus malignus euadit, ex colore subrubro in obscuriorem vergit, et miror Cl. ASTRVC, quo loco de scirrhi discriminibus egit, eandem sententiam fouisse. Proinde necesse

lor naturali non maior, vel adeo minor; ε, origo per congestionem lenta, vix manifesta. Scirrhum denique omnia loca mollia, praesertim tamen ea, quae structura sua propius ad glandulas accedunt, occupare affirmat. *q)*

Signis, quae Scirrhum vt plurimum manifestant, expositis, de illa iam antiquitus nota nec a recentioribus neglecta diuisione non nihil dicendum est, qua scirrhi genus omne in non exquisitum, exquisitum et malignum dispescitur. Non exquisiti nomine salutatur tumor durus, haud dolens, non quidem omni sensu destitutus, ad sensum tamen tardus *r)* exquisitus vero dicitur, sensu omnino

necesse est, vt vel scirrhum, qui ipsi malignus audit, cancrum appellet, vel illud coloris signum pathognomonicum immutet. . . Et nescio, sane quid ALLENVM mouerit, vt (in syllabo *synopseos vniuers. med. pr.* p. 649.) scirrho colorem liuidum tribuerit, cum ETTMÜLLERVS, quem secutus est, solummodo de notho scirrho hoc affirmet.

q) GALENVS meth. m. IV. c. 6. VAN SWIETEN in comment. I. p. 843. in fine.

r) GALENVS iam olim hac distinctione vsus est, vid. V. SWIETEN l. c. qui addit: »ex quibus saltem hoc patet; duritiem sine dolore in omnibus scirrhis adesse, in pessimis autem et insanabilibus secundum Galenum etiam insensilitatem.« PEYRILHE qui scirrhum non exquisitum prima cancri rudimenta exhibere, dicit (§. 6.) hunc, vt tumorem cuti concolorem, durum, renitentem, magno, exiguo aut nullo dolore stipatum describit. Haec vero PEYRILHEI descriptio minus arridet, quia ratione doloris vt signi, contrariam omnibus clinicis sententiam fouet. vid. insup. PLATNER.

no priuatus et durus *s*). Quae quidem distinctio, etsi non

 ab

NER. chir. inst. § 254. . . »scirrhus . . . est tumor durus sine inflammatione, et, si non aliud vitium accessit, sine dolore. . . . ASTRVC l. c. et SAVVAGES g. XIV. p. 7. ETTMÜLLERVS hunc aliquo modo dolorificum appellat. . . VAN SWIETEN, l. c. p. 873.« Signum ergo cancrum a scirrho distinguens dolor est.

s) Sic quoque PEYRILHE in descriptione secundi stadii, (scirrhi exquisiti) multum a communi sententia recedit. Postquam enim in descriptione primi stadii, dolorem adesse affirmauit, nec tamen absentiam doloris in secundo stadio negare sustinuit, »si sensu amisso,« inquit, »doloreque fugato placide latet, secundum intrat stadium« Quae ASTRVCIVS circa hanc rem statuit, iam antea notaui: et si verum est, quod nemo non fatebitur, scirrhum paulatim oriri diuque latere, antequam in sensus cadat, qui fieri potest, vt tamen dolor eiusdem index adsit? Vidi homines, magnos scirrhos in hac vel illa corporis parte circumferentes, qui tamen de nullo omnino dolore conquererentur, nec vnquam conquesti fuerant. Amicus quidam meus genarum scirrhum non quidem magnum, tactu tamen durissimum satis diu tolerauerat; cumque suaderem, vt scalpello hunc excidi curaret, quam primum leuissimum tantum in eo dolorem sentiret, id se acturum spopondit, et cum porro sciscitarer, num vnquam dolorem in parte affecta percepisset, negauit, et ante tres circiter annos, primum nodum non admodum durum comparuisse addidit; qui nullam molestiam praeter deformitatem ipsi creauerit, in tempore tamen volumine et duritie adauctus fuerit. Proinde PLATNERI verba: *si non aliud vitium accessit, sine dolore*, vt nunquam mente excidant necesse est. Deinde circa PEYRILHI verba qui l. c. sub not. a) anquirit: »quibus signis se prodit adeo celebrata insensilitas? quis vnquam Scirrhum immediate tetigit antequam ipsi ferrum admoueretur?« etc. pace tanti viri monendum est, non opus esse, vt scirrhum nudum manibus palpes, quo insensibilitas eiusdem declaretur, dummodo in illo cute adhuc contecto idem sub tactu appareat. Scilicet, vbi contenditur, scirrhum sensu destitutum esse, idem est, ac si diceres; dum manibus locus, quem scirrhus occupat, tractatur, nihil doloris vel sensationis in ipsa scirrhi substantia ab aegroto percipi, quo fit, vt, nisi loca vicina et tangentes digitos renisu suo premeret, vix de eius praesentia quicquam constaret.

omnibus probatur *t*) tamen cum iam a Galeni inde temporibus nota, clinicisque familiaris, et in arte facienda magni vſus ſit *u*) omnino retinenda erit.

Scirrhus in hoc primo atque ſecundo ſtudio perſeuerans, per multos annos absque moleſtia toleratur: irritatione autem externa vel interna accedente, vaſa vicina facile inflammantur; dolor vrget punctorius ſiue lancinans, periodicus, circa veſperam inprimis recrudeſcens; tumor creſcit, attollitur, pro diuerſa aegri conſtitutione, ſtimulique male afficientis natura; ſuperficies exaſperatur; color qui naturalis pridem fuerat, liueſcit; vaſa inflammata turgent, colore obſcuriore tinguntur, et varicoſa fiunt; cutis emollitur in locis ſubtus eroſis, omniaque cutis rupturam imminentem praeſagiunt.

Tertium illud ſtadium alio atque alio modo ab auctoribus medicis deſcribitur. Vagi enim ſunt fines, quibus ſcirrhum

t) PLATNERVS ſcirrhum exquiſitum, et non exquiſitum ſcirrhi benigni nomine comprehendit. Inſtit. chirurg. §. 262. ETTMÜLLERVS ſcirrhum indolentem ſiue legitimum, et dolentem ſiue nothum diſtinguit. Alii aliter. vid. PEYRILHE. p. 6. not. a.

u) Eo enim in prognoſi formanda reſpicitur, quippe cum Scirrhus non exquiſitus medelam admittat aliquam, exquiſitus vero omnem vim medicamentorum reſpuat, et medicamentis incaſſum adhibitis non raro in cancrum degeneret; quod iam HIPPOCRATES monuit, dicens: »quibus occulti cancri oriuntur, illos non curare melius eſt; curati enim citius pereunt. non curati multum tempus perdurant.«

ſcirrhum malignum cancrumque occultum, a ſe inuicem ſegregare annisi ſunt. Nonnulli ſcirrhum malignum siue cancroſum dicunt illum, qui dolet, formam mutat et exaſperatur; reliquis vero ſupra notatis ſymptomatibus ſtipatum cancri occulti nomine inſigniunt. Alii contra per integrum hoc tertium ſtadium cancrum iam adeſſe exiſtimant, auctorem ſecuti BOERHAAVIVM *x)* qui ſcirrho, ſimulac rubere et inflammari coeperit, cancri nomen tribuendum eſſe autumat. Sunt denique, qui hunc ipſum Cancrum apertum nominent, cuti etiam nondum exeſa nec tumore in vlcus conuerſo *y)*. Sed natura ipſa ſtadiorum definiendorum viam monſtraſſe videtur: primum enim ſenſilitas adeſt; deinceps vero ſenſim amiſſa ſenſilitate durities augetur. Hinc bina morbi efficiuntur tempora, quae tamen ita ſibi inuicem ſuccedunt, vt in lento mali decurſu alterum ab altero diſtinguere ſaepenumero difficillimum ſit; atque haec ipſa cauſa fuiſſe videtur, quod auctores nonnulli haec ſtadia, vt ſupra monui, pro vno eodemque ha-

 buerint

x) BOERHAAVE Aph. 492. . . . cf. AITKEN'S elements of Surgery. §. 178. (v. g. 176.)

y) ASTRVC l. c. PEYRILHE l. c. dolore tantum accedente tertium ſtadium diſtinxit, IVNCKERVM (in Conſp. Chir.) in reliquis ſecutus, ea, quae cancro occulto tribuuntur, ad carcinoma reuocauit. Neſcio ſane, cur Cl. vir ita receſſerit a BOERHAAVII ſententia, dicentis in Aph. 494. »Si ſuis continetur pellibus, occultus, his vlcere ruptis, manifeſtus vel vlceroſus dicetur.«

buerint *z)*. Tertium ſtadium accedente potiſſimum inflammatione et dolore aucto dignoſcitur, cumque ſignum aliud in promptu ſit nullum, vnde alterius mali incrementum pateat, rupturam cutis huic fini optime reſpondere exiſtimo.

Quodſi itaque cancer eo iam malignitatis peruenit, vt integumenta exedat, ſaniemque putrem fundat, carcioma *a)* ſiue cancer apertus, vel manifeſtus vocatur. Nec

z) vid. not. u. AITKEN cancri tria conſtituit genera; primum ἀναλγησια, alterum inflammatione, tertium denique exulceratione definiuit, atque hac ratione ſcirrhum, cancrum et carcinoma a ſe inuicem diſtinxit.

a) Cancrum a Carcinomate ſegrego, et hoc poſtremo nomine cancrum modo apertum ſignifico, illo priori vero totum genus complector. Ipſe HIPPOCRATES inter καρκινον et καρκινωμα diſtinxiſſe videtur, ita quidem, vt nomine καρκινου cancri omnes ſpecies comprehendere, καρκινωματα vero cancros tantum exulceratos dicere voluerit. In cuius rei teſtimonium vid. quae περι γυναικειων Βιβλ. β. habet, dicens, μελλοντων δε καρκινων, etc. et paulo ante ἐιτα ἐξ αυτεων φυονται καρκινοι κρυπτοι, quo loco cum illis ἀφορ. ϛ. 38. προῤῥ. β. XIIX. et XXI. (p. 501. et 503. Edit. Antonii v. Linden) et επιδημιων ε et ζ (p. 795. 873. et 875.) comparato, euidenter apparet καρκινον ipſi pro genere quaſi fuiſſe, quod, binas ſpecies καρκινον ſtricte ſic dictum et καρκινωμα complecteretur. Nequaquam vero inficias ibo, illum quibusdam in locis ſenſu ambiguo his verbis vſum fuiſſe: e. g. επιδημ: ε. (p. 774.) quam ambiguitatem auxerunt, qui HIPPOCRATEM latinitate donarunt, verba cancri et carcinomatis, aliis verbis graecis ſubſtituendo. Exemplo omnium ſit, ille Hippocratis locus; το γαγγραινωδες ἀνεδραμεν ἀχρι προς γονυ; quem verterunt, *carcinoma* aſcendit vsque ad genu. GALENVS HIPPOCRATEM ſequitur, vti ex locis, quibus in Hippocratem commentatus eſt, apparet. vid. lib. 2. de art. cur. ad Glauc. Iam ſupra CELSI mentem expoſui; TVLPIVS in obſeruationibus, oſſium

Nec vero ſubito et ſemel tantum integumenta rumpi collectumque ichorem exire docuit experientia, ſed cutem aeque ac cuticulam erodi, et ſic eam ſenſim depaſcendo, cancrum viam ſibi parare, per quam poſtea ipſa illius ſubſtantia tranſeat. Sic cancri per ipſam fiſſuram prorumpentis volumen expanditur, labia calloſa, dura, liuida vel nigreſcentia inuertuntur, et vlcus horridum conſpiciendum praebent *b)*. Eiusmodi vlcera accerimam ſaniem fuſco flauam vel virideſcentem ſtillare certum eſt; nec obſtat, quod aliquoties obſeruatum fuerit, effluentem ichorem omni prorſus foetore et acrimoniae caruiſſe *c)*. Non enim SWIETENIO teſte ſtatim ab initio putrida ſanies effluit, ſed ſenſim ſenſimque augetur illius acrimonia, quae

oſſium cariem »et FELIX PLATERVS in praxi medica, vlcera venerea, aphtas et gangraenam nomine cancri nuncupauit. Auctor vero illius ſupra notatae diſtinctionis mihi fuit CARLYLE in differt. de Cancro mammarum Lugd. Bat 1726. propugnata. Fortaſſis de alia ſignificatione cancri occulti hoc loco nonnulla addere poſſem, ſed BECCHERVS (et Swietenius in Comment.) in Diſſert. de cancro, haec iam anticipauit dicens: »dubium enim adhuc inter auctores eſt, quinam occultus dici debeat, PHILOXENVS vt AËTIVS refert, tetrab IV. Serm. 4. c. 43. occultum cancrum dixit, qui in partibus abſconditis vtero ſcilicet aut inteſtinis eſſet. Veteres autem fere omnes occultos nominarunt, qui ſine vlcere ſunt, de quo GALENI teſtimonium affert, BECKETT. l. c. (T. I. l. I. c. 30.) p. 396.«

b) SWIETENII verba ſunt: »Cancri ſubſtantia per aperturam factam expanditur, circa *labia* eiusdem retorquetur, et in fungoſam molem excreſcens, liuidi, et aliquando fere nigri coloris, horrenda illa exvlcerati *labia* conſtituit.«

c) RICHTER l. c. HILL. caſes, p. 22.

quae tanta eſt interdum, vt linteamenta, aquae fortis inſtar exedat. Quid mirum itaque, ſi illius eiusdem efficacia vaſa ſanguifera et nerui deſtruantur, vt inde frequentes tandemque letales haemorhagiae et dolores acerbiſſimi pungentes oriantur, „tandemque poſt ſummas miſerias diu toleratas toties optata inter diros illos cruciatus mors omnibus his malis finem imponat."

Hactenus, quae in Cancro vt plurimum obſeruari ſoleant, expoſui. At ſi vero quid arte vel natura mutatum fuerit, non raro morbus a conſueta forma recedit. Sic intempeſtiue adhibitis in ſtatu ſcirrhoſo medicamentis emollientibus, non raro in ipſa tumoris ſubſtantia pus gignitur, ita vt rupta cute non ſanies, ſed pus ichore mixtum exeat, et imperitos vana ſpe fallat. Deinde etiam varia ſunt, quae pro diuerſo loco affecto contingere morbique faciem mutare poſſunt. Non raro obſeruatum fuit, in quibusdam cancri ſpeciebus vaſa nec turgida nec varicoſa fuiſſe, prouti locus affectus vaſis venoſis maioribus plus minuſue abundaret. Profluuia ſanguinis etiam, in cancro frequentiſſima, pro vaſorum vicinorum maiore minoreue amplitudine, corpus plus minuſue exinanire mortemque plus minuſue accelerare poſſunt. Quantum vero loci affecti diuerſitas, ad cancri naturam immutandam valeat, ex PEYRILHI *d)* potiſſimum verbis „can-

d) PEYRILHE l. c. §. 10.

„cancrum iam natum saeuire in ratione viciniae a corde, et sen- „sibililatis partis affectae " apparet. Quam viri Cl. sententiam etsi in dubium vocare vix sustineo, mallem tamen illum addidisse, quod cancer iam natus pro diuersa ratione glandulosae fabricae loci affecti, vehementia et periculo differat. Experientia enim constat, loca glandulis magis conferta huius mali propagationi omnium maxime fauere Hinc etiam causa patet atque ratio, cur cancer mammarum, ab eodem malo alias partes inuadente nonnunquam multum differat. Nam vt plurimum eum, quem descripsi typum obseruare solet, cum in aliis locis neque tam celeriter malum increscat, neque tam horridis excrescentiis stipatum sit, nec in tantum volumen protuberet.

Sed praeter hanc a vario loco affecto maxime pendentem diuersitatem, alia etiam in vno eodemque loco obseruatur, ad quam probe attendere propterea magni momenti est, quia huius ope, ad morbi naturam cognoscendam via patet tutissima. Sic Cl. BIERCHEN ε) tres diuersas species cancri mammarum enumerat; prima sub initio pisi magnitudine apparet, et satis diu toleratur, donec

ε) BIERCHEN. l. c. p. 7. primam speciem genuini, alteram fungosi, tertiam scrophulosi nomine nuncupauit.

nec magna glandula ſubaxillaris in conſenſum ducitur, et cancrum inſanabilem reddit. Tali in caſu tumor intus duriſſimus eſt; et hydrargyrium, medicamenta martialia, aquae minerales, atque Conium nocent. Altera BIERCHENII ſpecies, quam vt plurimum in corporibus obeſis obſeruauit, excreſcentiis magnis fungoſis atrorubris, frequentioribus, quam in prima ſpecie, mamma ipſa quaſi in fungum conuerſa, ichoris affluentis multitudine, et cutis compluribus locis ruptura dignoſcitur. Quam ſpeciem BIERCHENIVS tanquam a priori diuerſam deſcripſit, et imprimis ad celeritatem, qua augetur reſpexit; tamen, quum haec diuerſitas nullibi occurrat, niſi, cuius eodem loco mentionem iniecit, obeſitas vel ſiccitas aegri quidpiam immutet, hoc ipſo argumento, me quidem iudice, morbos hoſce duos non ſegregandos eſſe patet, vt taceam, quod ad medicamenta mox memorata eodem modo ſe habeat ac prior ſpecies, quod quidem BIERCHENIVS non monuit, de qua tamen re certior fies, conferendo cum aſſertis ea, quae obſeruatores, Angli inprimis, annotarunt. Maioris momenti ſpecies tertia eſt, maximum vero diſcrimen in eo conſiſtit, vt, cum in prioribus ſpeciebus cancer in loco ipſo oriatur, in hac contra a cauſa interna propullulet. Dignoſcitur dolore ante eroſam cutem non admodum magno, duritie, et vt plurimum aliarum glandularum ſimultaneo tumore; habitu aegroti cacochymico, facie tumida ocu-

oculiſque rubentibus, induratione partium laeſarum, quae coarctantur et rubeſcunt. Tumor ex pluribus conſtat nodis, qui interdum cutim lacerant et erodunt, et vlcus non multum ichoris fundens, ſed admodum ſiccum efficiunt *f)*. Atque haec ipſa eſt ea morbi cancroſi conditio, in qua Conium ſalutares forte illos effectus edidit, quos STOERCKIVS aliique tantopere celebrarunt *g)*. Neque hydrargyrii vſus in hoc malo ſpernendus eſt.

Iam ex denominatione cancri ſcrophuloſi concludere licet, hanc tertiam ſpeciem BIERCHENIO auctore ex ſcrophula in ſcirrhum verſa oriri. Sed cum ſcirrhus atque ſcrophula adeo inter ſe affines ſint, cumque omnes auctores in eo conueniant, quod ſcirrhus a ſcrophula ſub initio inprimis probe diſtinguendus ſit, non alienum ab inſtituto meo eſſe puto de ſcrophulis hoc loco nonnulla addere *h)*. Et ſane, qui hactenus enarrata attentius perpen-

 derit,

f) Cl. BIERCHEN (p. 40.) addit, ſe ſcrophulae nomine inſignire maiores vel minores glandularum tumores, in inguinibus, ſub axillis, in mento, gula et alibi, *qui a cauſa venerea orti* vel ſigillatim, vel cum cancroſis morbis et cutis tuberculis etc conſpiciuntur. Quis vero credidiſſet, Cl. BIERCHEN huic cancri ſpeciei, cuius originem ſcrophuloſam adeoque ſimul veneream eſſe contendit, tribuiſſe tantam antiquitatem, vt ab illa auctorum omnium teſtimonio noua morbi ſpecie, HIPPOCRATES ipſe nomen cancri deſumſerit?

g) Vid. ANT. STOERKII libellum I. et II. de Cicuta, cum Suppl. LOEBERVM et al.

h) Non modo ſcrophula, ſed alii etiam morbi ſcirrhi ſpeciem nonnunquam mentiuntur. Taceo, omne tumorum genus, glandu- las

derit, facili negotio perſpiciet, non adeo magnum inter ſcrophulas et ſcirrhum intereſſe diſcrimen; quae affinitas SAUVAGESIVM *i)* quoque mouit, vt ſcrophulam tumorem ſcirrhoſum glandularum colli meſenteriique appellaret. Eſt etiam quaedam ſcrophulae ſpecies, ab auctoribus medicis ſcirrhoſa dicta, quae ob ipſam duritiem ſcirrho ſimillimam, hoc nomen nacta eſſe videtur *k)*. Eſtque haec ipſa ſpecies, quam vlterius progreſſam, in cancrum verti BIERCHEN aſſerit. HILLIVS *l)* tamen nullum ſe exemplum ſcrophulae in cancrum verſae vidiſſe affirmat, et in ſignis vtrorumque a ſe inuicem diſtinguendis admodum ſollicitus eſt. Adde, quod hanc tertiam BIERCHENII ſpeciem cancris haud accenſendam eſſe putauerit, quoniam in illa nec venae ita turgent, nec ichor effluens tantam acrimoniam habet *m)*. Et ſane re attentius ponderata,

las occupans, mollitie, aliisque ſymptomatibus naturam ſuam prodens. Et Elephantiaſin, morbum, in quo glandulae induratae ſemper fere adſunt, intactam relinquo, cum ſigna alia, quibus ſe manifeſtat, euidentiſſima ſint. Bubones in glandulis axillaribus, inguinalibus et parotidibus oriuntur, ſcrophuloſae corporis diatheſi, peſti et morbo venereo comites ſeſe addunt, licet a cauſa locali quoque interdum proueniant; caeterum rubore, dolore, pulſatione, et in ſuppurationem pronitate a ſcirrho diſtant.

i) SAUVAGES g. CCXLV. p. 42.

k) ASTRVC traité des vlc. tom. II. ſ. 5. chap. I.

l) HILL. l. c. p. 25.

m) Quibus ſignum ab haemorrhagiarum abſentia deſumtum addi poterit.

rata, et ſimul conii et hydrargyri in hoc morbo efficacia perpenſa, nihil ſane obſtat, quin partibus Cl. HILL me addictum eſſe profitear; quum, ſi quorundam ſignorum ſimilitudo ſufficeret, vlcera venerea etiam cancroſa dicenda eſſent. *n*).

Ad id cancri genus nunc progredior, quod in parte non glanduloſa oriri ſolet, (cancrum ſpurium) de quo iam ſupra nonnulla monui. Illud vero, praeter iam allatum a loco deſumtum ſignum in eo potiſſimum a cancro genuino differt, quod iſte tempora decurſus ſui variis ſymptomatibus diſtincta habeat, hoc vero ſtatim carcinomatis forma appareat. Videtur vero hoc cancri genus omnino convenire cum ea deſcriptione, qua Cl. BIERCHEN cancrum fungoſum illuſtrauit; ita vt nomen ipſum, quantumuis ab ipſo ad glanduloſi cancri genus reuocatum, ex SWIETENII Commentariis deprompſiſſe videatur. Ea ſcilicet huius morbi indoles eſt, vt, modo loci affecti conditio abundantem tumoris affluxum patiatur, fungoſae carnes admodum magnae excreſcant, ſola duritie, quae in his minor eſt, a fungis vere cancroſis diſcernendae.

 Quodſi

n) Licet HILLIVS in morbi diagnoſi multum ſtudii poſuiſſe videtur, mallem tamen eandem curam adhibuiſſet in morbi carcinomatoſi p. 14. v. g. explicati deſcriptione, qui, niſi me omnia fallunt, ſcrophuloſae originis erat, et tamen ab HILLIO ad cancrum ſtricte ſic dictum refertur; confer BIERCHENIVM p. 47.

Quodſi vero id malum in tali loco naſcitur, qui prouentui fungorum haud fauet, nerui tamen ita afficiuntur, vt excreſcentias, etſi non adeo magnas forment. Cum vero fungos iſtos paullo molliores eſſe contenderim, nolim tamen in eam ſuſpicionem incurrere, quaſi duritiem his cancris prorſus nullam tribuere voluerim: haud enim ignoro, in omnibus huiusmodi vlcuſculis fundum et latera ſiue labia indurata reperiri. Deinde, vt in ſignis enumerandis amplius progrediar, ratione doloris et effluentis ſaniei eodem ſe modo gerunt, ac alia carcinomata, niſi quod dolor paullo remiſſior ſit, nec admodum profunde deſcendat. Vicinae partes lenta eroſione conſumuntur, cum malum illud plerumque corporis extremam ſuperficiem tantummodo occupet, nec facile altius proſerpat. Haemorrhagiarum eadem fere eſt ratio, ac in genuino cancro, et mox maior mox minor vehementia, prouti vel abundantior, vel parcior eſt vaſorum in loco affecto copia. Ad venas varicoſas turgidas quod attinet, illas in hoc morbi genere quodammodo rarius conſpici, vel ideo neceſſe eſt, quoniam cauſa non adeſt, per quam appareant, obſtructio ſcilicet et preſſio vicinae partis, qualem in priori ſpecie a ſcirrho proficiſci demonſtrauimus. Nihilominus tamen apud auctores multa exempla talium carcinomatum leguntur, quae aeque ac cancer genuinus vaſis varicoſis circumſeſſa erant. Recte

itaque

itaque faciunt, qui a praefentia vel abfentia vaforum varicoforum, ad praefentiam vel abfentiam cancri certi quicquam concludi nolunt.

His, quae vulgo referri folent *o)* et ad cancrum fpurium dignofcendum fufficere videntur, pauca tantum addam. Et primum quidem non raro fit, vt hoc genus carcinomatum pro vlceribus aliis, et haec pro illis habeantur: qualia funt quaeuis vlcera antiqua et mali moris, fiftulofa, venerea et id genus alia. Antiqua vero et fiftulofa vlcera facilius difcernas, etfi ichor eundem interdum odorem fpargat, eandemque confiftentiam habeat, modo ad acrimoniam refpicias, quae non tanta ac in carcinomate effe folet. Alia eft vtrorumque difcrepantia in profluuiorum fanguinis et fungorum ratione confpicua: quamuis enim vlcera fiftulofa et antiqua cruentum humorem nonnunquam ftillare folent, haemorrhagiis tamen vehementioribus non ita facile ac cancri funt obnoxia. Fungofa caro etiam non raro extuberat, labia tamen vlceris vix retorta apparent; nec fi callofa funt, facile eroduntur *p)*. Vlcera porro venerea, quae carcinomatofis maxime affines effe inter omnes conuenit, cauta

o) SWIETEN Comment. I. p. 878. PEYRILHE p. 62. §. LXIV. fq.

p) Non raro tamen vlcera antiqua et tumores tum fimplices, tum exulceratos in cancrum verti experientia docet; commode vero, cum carcinomatis forma appareant, ad fpurium cancrum referuntur: Medium vero inter vtramque fpeciem, carcinomata ex fcirrho partis non glandulofae orta tenent.

cauta circumſpectione haud difficulter diſcernes: cuius rei exempla apud BIERCHENIVM *q)* leguntur. Maximum vero diſcrimen eſt in mollitie; quemadmodum enim carcinomata ſpuria in fundo indurata ſunt, ita venerea vlcera ſemper fere quandam mollitiem ſeruant. Vlcera carcinomatica vnicolora ſunt et aſpera, lente ſerpunt, et excreſcentiis fungoſis in labiis locisque ſtructura his proximis ſetarum inſtar (vt ſupra monitum) luxuriant; venerea plus vno menſe quam illa anni ſpatio erodunt, et aſpera quidem interdum eſſe ſolent, non tamen ob excreſcentias fungoſas, ſed ob materiem immundam et diuerſicolorem. Inprimis vero tenendum eſt, vlcera cancroſa ſaepius ſine vi externa illata magnam ſanguinis copiam fundere; venerea autem per ſe vix paucas guttulas ſanguinis plorare *r)*. Cancri nomine etiam interdum ſalutatur noma, quod vlcus eſt cutem et integumenta depaſcens *s)*, cicatricem inducens. Ipſa vero definitio vtriusque morbi differentiam declarat; qui plura velit, BIERCHENIVM *t)* con-

q) BIERCHEN p. 87. ſqq.

r) Poterit fortaſſis aliud ſignum deſumi a materie ſecreta in vtriusque generis vlceribus; etſi enim vtraque non pus ſed ſaniem vel ichorem emittunt, tamen magis ad puris naturam alterius accedit ſanies, quod ex relictis in vulnere ſordibus immundis euidenter apparet.

s) LINNÉ gen. 251.

t) BIERCHEN lib. c. p. 85. et 120.

consulat. Denique non raro ossium caries, quae vlcus putridum, ideoque serpens comitem habet, carcinoma dicitur. Sed poterit fortassis dignosci loci conditione bene perpensa, quae tamen aliquando vel peritissimos fefellit, vt, cum de morbi exitu iam bene sperarent, tandem ossa carie computruisse apparuerit. Num vero vlcus cancrosum cariem inducere queat, hoc loco disquirere, a consilio meo alienum esse puto.

Quae hactenus exposui, non nisi ad cancrum externas partes occupantem spectant. Quum vero supra dictum sit loca quaeuis mollia, quae structura sua propius ad glandulas accedunt, cancro esse obnoxia; partes internas etiam ab hoc malo non immunes esse, facile patet. Iam quibus signis in his sese prodat, videndum est; quorum sane perdifficilis est cognitio, et non nisi ex laesis functionibus organi, cui inhaerent, desumitur. Addere mihi liceat, quae apud Cl. PEYRILHE leguntur, dicentem „Ad diagnosis certitudinem requiritur primo: vt tales laesiones contingant, quae a compressione aut a tarda erosione nasci solent; secundo: vt quaeuis alia aegritudo exulet, cui vigentia accidentia referri iure queant; tertio: vt functionum laesio diu in eodem statu maneat, absque notabili incremento, quando de scirrho suspicio est, et eadem laesio pede solito procedat, cum cancrum adesse suspicemur.“

Quibus addi poterit, tactum etiam ſcirrhi praeſentiam interdum prodere. Sic hepatis ſcirrhum clinici duritie externe etiam palpabili dignoſcere norunt, vti et id genus morbi, quod phyſconiam nonnulli dicunt, in quo abdomen a viſcere obdurato intumeſcit *u)*.

Quodſi omnia hactenus propoſita, eodem ſemper modo fierent, facillima foret haec interni cancri cognitio. At fallax eſt ſaepenumero et inconſtans ſignorum iſtorum apparitio; nec raro cadauerum inciſione patuit, internas partes ſcirrho aut carcinomate corruptas eſſe, cum tamen homine viuo longe alium morbum medici ſuſpicati fuiſſent. Accedit, quod de ipſa ſede mali certum iudicium ferre neutiquam liceat; cum partium internarum a locis conſuetis aberratione, haud raro fiat, vt, e. g. eum, qui hepati, ventriculo, inteſtino tenui aut colo inhaeret dolorem aut tumorem, aliam prorſus partem infeſtare opinemur. Hinc etiam in ſcirrhi cancrique internis ſedibus definiendis turpiter nonnunquam fallimur; dum e. g. ouarii ſcirrhum pro renum morbo aut hydrope ſaccato, ventriculi ſcirrhum pro hepatis tumore habemus. Qui itaque nullum eſſe ſignum con-

u) Phyſconia a medicis ſyſtematicis paulo aliter definitur; omnes abdominis intumeſcentiae commemerant, in reliquis, verbis magis quam re differunt, Cl. SAUVAGES addit: a partibus ſolidis ſine grauiditate et fluctuatione »VOGEL« a magnitudine habituue viſceris mutat »Cullen« nec ſonora nec fluctuans.

conſtans et certum eſſe contendunt, quod cancrum ab aliis vlceribus diſtinguat, illis, dummodo ad internos tantum cancros reſpiciant, nullo modo aduerſabor; quin potius peſſima iſta internarum partium mala, ne quidem ab aliis morbis ſatis certo dignoſci poſſe, lubens confitebor. Sed qui cancrum externum etiam eumque apertum, nullis omnino certis ſignis ſeſe manifeſtare arguunt, illos, (vt pace tantorum nominum dixerim) a veritate deflectere ſuſpicor. Nihil fere ad cancrum dignoſcendum effici contendunt, dolore acri lancinante; nihil acrimonia et foetore effluentis ſaniei; nihil labiorum vlceris calloſitate, retorſione et duritie; nihil denique carne fungoſa luxuriante: quippe haec omnia aliis quoque vlceribus ſint cummunia, nec ſemper in cancro ichor foeteat, aut labia retorqueantur. Nec vero ex loci affecti ratione morbi naturam certo definiri poſſe exiſtimant; cum ſcilicet in locis tum glanduloſis, tum glanduloſa fabrica deſtitutis cancer enaſci queat, et vlcera bonae indolis in glandulis nonnunquam colligantur, et ſcirrhus cancrum non ſemper antecedat *x)*. At vero ex eo, quod ſingula illa ſigna ad cancrum dignoſcendum non ſufficiunt, vix conſequitur, omnem cancri definitionem labilem eſſe et fallacem. Quis

 enim

x) RICHTER. Obſ. chir. faſc. III. p. 44. 1780. et Comment. Societ. Reg Goetting. Vol. II 1780. eadem verba leguntur in LERCHII Diſſert. de Cancro. 1777.

CLAVDIANVS

de IV. Consulatu Honorii. v. 267.

Non, quicquid liceat, sed quid fecisse decebit
Suscipias, mentemque domet respectus honesti.

Antiquo receptum eſt more, vt Licentiati titulo condecorentur, qui poſt abſolutum ſtudiorum academicorum curſum, ſupremorum honorum Doctoralium praemia ambiunt, quae ipſis immunitatem, cuncta medici officio conuenientia liberalius peragendi largiantur. Eſt autem licentiae notio, etiamſi non ſemper deterioris, ambiguae tamen admodum ſignificationis. Sunt multi, qui libertate ſua parum prouide vtentes, neque ſanam verae atque ingenuae libertatis ideam habentes, quicquid *libuerit*, ſibi quoque *licere* exiſtimant, atque omnem plane humanitatis et virtutis ſenſum ita abnegant, vt ſolute viuendo, nequiſſima facta perpetrando, *turpiſſimae* licentiae ſtimulis adacti, cuncta ſibi indulgeant, neque vllis ſinceris monitis parentes, neque

 honeſta-

honeſtatis memores, impunitate potius audaciores facti, veriſſimum antiqui comici dictum, *omnes deteriores fieri licentia,* *) manifeſte admodum corroborant. Legum ſegnioribus cuſtodibus, publicaeque rei perditis et rapacibus tutoribus, et iniquis cauſarum patronis, licere creditur, ſub iuſtitiae larua durius cum ciuibus ſuis agere, miſerorum clientum crumenas callidiſſimis artibus impudentiſſime depeculari, ſub ſumtuum publicorum praetextu, priuatis arcis atque ciſtis prouidere; militibus, iure belli liberum eſſe putatur, cuncta deuaſtare, agros fundosque depraedari, hoſtiles vbiuis exercere rapinas, exactionibusque diriſſimis in aliorum bona et facultates deſaeuire. Talem probroſam imitari licentiam, hominem vtique dedecet. Eſt tamen plus vna etiam, omni culpa vacans licentia, quae intra modeſtiae aut elegantiae quoque fines contenta, non exiguam ſolum promeretur laudem, verum etiam inter maxima ponenda eſt ornamenta. Talis eſt *poetarum* licentia, dum, quo adſtrictiores ad numeri ordinem et pedum ſunt menſuram, eo maiore in verbis et ſyllabarum quantitate, vocumque nunc diductione nunc contractione ſubinde vtuntur licentia, antiquiſſima non ſolum autoritate confirmata, verum ad ipſius etiam artis praeſtantiam extollendam perquam opportuna. Licet, quinimo virum probum decet, veritatem loquendo et ſcribendo palam profiteri, veruntamen intempeſtiuo tempore hac licentia vti, haud ſemper prudentiae conuenit regulis, cum non ſemper loci temporis, aliarumque circumſtantiarum eadem ſit opportunitas, qua libera vbiuis animi proferre ſenſa ſui conueniat; minime vero omnium, rodentibus conuiciis alios ſecus ſentientes lacerare, mordacibusue ſcriptis veritatem tueri, ſapientis eſt, cum

*) TERENTIVS Heautontimor. Act. III. Scen. I. v. 74.

cum ipſa veritas, aptiſſimo licet tempore, atque decente modo prolata, rariſſime odio careat, magis certe diſplicitura, ſi quidem aſperiorem dictorum velo veſtita incedat. Quodſi praeterea cunctas, atque adeo diuerſas hominum ſtationes et viuendi modos curatius explorare lubuerit, nullibi non adeo ſolutam paſſim dominari deprehendemus licentiam, vt homines perquam multos, nullis plane legibus, aut humanitatis ſaltem officiis adſtrictos, ſuo tantum arbitrio viuere poſſe, ſuſpicari liceat. Eſt vtique homini innata non ſolum libertas, verum etiam conſtantiſſima ad libertatem tuendam propenſio, nobilitati humanae quam maxime conueniens, ſuis tamen, quos iuſtitiae, aequitatis et honeſtatis ſenſus ponit, circum ſcripta ſit oportet limitibus, quibus violatis, proxima via ad indomitam patet ferociam. *Seruilis* tamen iugi id circo haud ferenda eſt ſarcina; frenis enim et capiſtris animalia, comitate vero et ratione homo regendus eſt, ſapientiſſimus omnino et feliciſſimus iudicandus, ſi quidem ſibi ipſi recte imperare, atque ſua licentia ita vti nouerit, vt laudem inde promereatur. Quo vsque vero homini hoc ſuo iure vti liceat, hic fuſius exponere haud attinet, cum ſaltem breuem licentiae medicae delineationem tradere conſtitutum ſit, intra proluſionis huius compendium continendam.

Eſt omnino imperatoribus, regibus, principibus, magna in populos atque ſubditos ſuos poteſtas; moribus ciuium imperant, cenſus exigunt, quinimo in ipſam vitam imperium tenent; cuncti tamen magnatum, arcta admodum imperandi continentur poteſtate, qua *ſuis* tantum prouinciis mandata dare conceſſum eſt, cum aliorum imperia turbandi, ne minimo quidem, niſi iniquiſſime arrogato iure, polleant. Sed medico, *omnibus* imperare licet,

vniuerſo orbi, absque vlla perſonarum et conditionis habita ratione, imperare tenetur; per omnes terras penes ipſum ius eſt et norma dicendi; agendi, prohibendi; omnes eum venerantur, omnes eius mandatis, etiamſi ſubinde durioribus, libenter parent. Barbarae licet, et ab omni propemodum humanitate remotae nationes, medicos tamen reuerenter habent, ſeque ipſorum auxilio haud quaquam carere poſſe, neutiquam ignorant. Neque pecudiari medicis opus eſt immunitate, qua artem ſuam faciendi hic illic nanciſcuntur veniam; ſola, qua morbos mortemque fugare poſſe creduntur dexteritas, plenam ipſis largitur autoritatem, vbiuis terrarum praeſtantiae atque peritiae ſuae liberrima edendi ſpecimina, quandoquidem artis ſuae contemtum, grauiſſimorum morborum agminibus prouocatis, potenter admodum vindicare poſſe exiſtimantur. Quae enim eſt medicorum in homines poteſtas, omni principum dominatu ſuperior et amplior eſt cenſenda; nam et his imperant medici. Nemini ad principes patet aditus, niſi qui miniſtrorum, aliorumue ſummorum patronorum fauore ſuffultus, veniam coram ipſis comparendi nactus fuerit; et quam multae ſaepe expectando conſumendae ſunt dies, vsque dum hoc ſuo potiatur voto! medico autem quotidie fores patent; huic per medios licet ire ſatellites et ianitores; hic, non a principe mandata *accipit*, ſeueriobus potius monitis, ſi quando aduerſus regulas medicas peccatum fuerit, increpat, atque de obſequio, ſuis conſiliis et praeceptis haud temere denegando, ſerio et ingenue hortatur, et iubet. Iubere enim atque imperare, vſitatiſſimam olim iam fuiſſe medicis loquendi et agendi rationem, medicus ille apud comicum teſtatur:

quod

quod iuſſi, (inquiens) *ei date bibere, et quantum* imperaui, *date.*

Et quidem hoc maximo iure faciunt medici, vt pote quibus vita et ſanitas hominum, qua maius dici aut cogitari haud poteſt beneficium, concredita eſt. Huius curam, non negligentiore ſocordia, ſed rigoroſiore gerere conuenit imperio. In tanta videlicet morborum copia, ex quibus ipſa ſaepiſſime periclitatur vita, vigilantiſſima medici requiritur induſtria, ſolus hic, auxilio ferendo eſt idoneus, ſolus ſecundum artis regulas morborum cauſas cognoſcit, ſolus opportuna pharmaca inſtruere nouit, ſolus igitur etiam liberrime, quid faciendum ſit, quidue fugiendum, praecipere tenetur. Hanc medicorum autoritatem, ipſi principes olim maximi feciſſe, atque praemiis proſecuti leguntur. Artaxerxes, Perſarum rex, Hiſcani, Hellesponti praefecto mandauit, vt Hippocratem, quibuscunque modo poſſet praemiis, ad ſe inuitaret; Eraſiſtratus, medicorum ſui temporis praeſtantiſſimus, cum Antigonum, Macedonum regem, feliciter ſanaſſet, centum donatus fuit talentis. Iulius Caeſar, iis qui medicinae operam dabant, liberum ciuitatis ius largitus eſt, vt eo maior medicorum in vrbe eſſet frequentia, et artem faciendi poteſtas. Ita ergo medicis in omnes dominari licet ſtationes, aetates, ſexus, dignitates,

ſiue reges,
ſiue inopes fuerint coloni,

ita quoque ſuam licentiam ampliſſimis exornatam laetantur praemiis.

Hac autem, quam in alios habent medici licentiam, *in ſe ipſos* quandoque apposite admodum vti didicerunt. Vix

Vix enim adeo intrepido animo, tamque heroica cum constantia, Paolius, fortissimus quondam Corsicanae gentis imperator, prouinciae suae propugnauit libertatem, quam medici suas semel conceptas defendere conati fuerunt hypotheses. Est quidem omni homini, maxime vero eruditis, plenissima semper liberrime sentiendi atque dissentiendi potestas, nuspiam vero propemodum latius diffusa, quam inter Machaonis filios, hanc in sui vsum contumacissime vertentes, atque immortalem autoritatis celebritatem venantes. Sic, qui multis incogniti sunt corporis atque mentis recessus, adeo aperte medicis patere creduntur, vt cuncta loca, puncta omnia, latebras atque sinus omnes, in quibus et corporearum et mentalium functionum causae efficientes resident, ad oculum demonstrare tentent, atque modum quo omnia expediantur, exactissime declarare norint. In hoc ipso vero modo determinando, summa obtinet, in diuersissimas prorsus abeundi sententias licentia, hac ipsa diuersitate non omni suspicione carens. Ingeniosa est nonnullorum, in fingendis funiculis, rotis, trabibus, elateribus, vectibus, similibusque mechanicis praesidiis licentia, quorum ope, determinata quaedam corpori inhaerens potentia, mechanica quadam ratione, motum omnium partium expediat, atque functionum ab his pendentium effectus producat; quae licentia, etiamsi aliquo forte tolerari posse videatur modo, cum tamen ad ipsius animae quoque facultates simili ratione demonstrandas et explicandas progreditur, iniquioris audaciae vix carere videtur opprobrio. Talem vero olim iam obtinuisse inter medicos licentiam, historiae medicae gnaros haud quaquam fugit. Vix enim tanta imperatori bellico est potestas, militum turmas congregandi, numerosumque exercitum in manipulos, centurias et legiones

giones coordinandi, atque aciem inſtruendi, quanta medicis olim fuit, numeroſas cohortes in ſui partes alliciendi licentia. Teſtantur adeo multae, multisque ſubinde affeclis locupletatae, empiricorum, dogmaticorum, methodicorum, pneumaticorum, metaſyncriticorum cet. ſectae, quanta fuerit medicorum poteſtas, ingenioſis perſuaſionibus, fucatorum argumentorum coloribus, ſpecioſis verborum phaleris, inſignem ſibi comparandi diſcipulorum atque deſenſorum familiam, tanto cum feruore tantaque cum licentia aduerſus ſecus ſentientes decertantem, vt incruenta quidem, ſaeuiſſima tamen iſta, ſcriptis dictisque geſta bella, orbem medicum haud leuiter concuſſerint. Neque hanc, in varias factiones, in omni diſciplina medica diſcedendi licentiam, ſequioribus deſiiſſe temporibus, ipſa loquitur experientia, innumerae que teſtantur, et inſolitis opinionibus affatim ditiſſimae, et acerrimae bilis etiam ſubinde plenae ſcriptiunculae, quibus perquam multi aduerſus diſſentientes inſurgendo, veritatem, quam quilibet ſibi tantum poſſeſſionis quaſi iure propriam eſſe contendit, non niſi iurgiis et contumeliis defendi poſſe arbitrantur. Non quidem hanc, miras miſerasque opiniones parturiendi, atque miſerrimis quoque argumentorum tricis propugnandi contentionem, aliarum ſcientiarum ignorari cultoribus, exiſtimare conueniet; ſunt theologis atque iurisconſultis ſuae hypotheſes, praeiudicia, atque diſceptationes, hic vberius haude exponendae, inconcuſſis tamen ſacrae ſcripturae dogmatibus, aut legum et conſtitutionum autoritate facile componendae; medicina vero, in qua quotidie noui quid tam ſecundum quam praeter naturae ordinem contingere deprehenditur, vel deprehendi poſſe creditur, nullis plane hac in re paret legibus, ideoque ſola ingenii

vbertas nimium libere hic dominatur, arbitraria principia fingit, quae vere eueniunt, non ita semper, vti cognosci debebant, disquirit, quin potius, vt euenire *poterant*, aut vti euenire *optantur*, tanquam in dubitata fundamenta statuit, liberrimaque cum constantia tuetur. Ita vero ratio deseritur, sola experientia, admodum saepe fallax, imo ne haec quidem semper, vel certe intempestiue applicatur, atque imprudentiorum suorum fautorum licentiam, inexpectatis euentibus egregie decipit.

Sed valeat licentia theoretica, vt paucissimis adhuc, quid in praxi licentius peragatur dispici possit. Est autem medicis sua praescripta norma, artis principiis stabilita, ad cuius ductum, et morborum caussas disquirere et diiudicare, ipsarumque tristiores effectus, quantum per artem licet, auertere et plane depellere conuenit; quae medendi ratio, etiamsi nec paedantico rigore vbiuis sit obseruanda, neque vniuersalem omnes morbos eodem modo sanandi doceat formam, haud quaquam tamen *solius arbitrii* res est, vt pote cum medico, naturalium et praeternaturalium mutationum lustratori quidem atque administro esse liceat, ab imperio tamen in naturam, humanis ausibus haud vnquam obsequiosam futuram, sollicite abstinendum sit. Quotus quisque vero est, quin sciat, atque quotidianis edoceatur exemplis, quam parum quandoque medentes, intra hoc, naturae molimina attente saltem obseruandi atque circumspecte dirigendi, sese contineant officium. Tanta videlicet saepe cum temeritate, ab iis qui sibi solis sapere videntur, morborum suscipitur cura, vt, cum tristes illas, humanae sanitati perniciem minitaturas, fugare debeant caussas, inconsideratis potius ausibus atrociam earundem augeant,

geant, atque morbos, qui lenius habiti, facile debellari poterant, iniquiſſima licentia exacerbare, aegros que in praeſentiſſimum praecipitium dare, nulli vereantur, quando quidem hoc ſibi ius datum eſſe ſomniant, ſuae quam ſibi finxerunt medendi methodi ſequi normam, atque indicationes, non quales ex morbi natura ſequuntur, ſed quas e ſuo depromſerunt cerebro, formare. Liberrime hinc, cum ab euacuationibus quibuscunque demum abſtinendium eſſe, ſaniores artis regulae imperent, venaeſectio adornatur, vomitoriis et purgantibus primae viae ſollicitantur, totumque, quod in placido motu continendum erat, humorum volumen, intempeſtiua commotione conturbatur, morbi que materia, quae aliis locis longe opportuniore modo eiicienda, aut ſponte illuc ſe ceſſura erat, imprudentius abinde deriuata, ad infeliciſſimas metaſtaſes diſponitur; humores, conſeruandi potius, quam prodigalius ſubducendi, in vitalis circuli detrimentum imminuuntur, atque vires, morbi grauitati ſuſtinendae neceſſariae, citra rationem debilitantur. Hanc tamen, morbos et faciendi, et ipſorum acerbitatem augendi licentiam, neque omnibus medicis, neque omni tempore atque in vniuerſum probroſam eſſe, reputare conueniet; opus potius quandoque eſt, tum ad variorum morborum pernicios orum acceſſum praecauendum, tum ad praeſentium vim augendam, vehementiores in corpore excitare motus, atque doloſae nonnullarum cauſarum, nondum ſatis euolutarum tarditati ſtimulum addere, indeque maturiore monitorio, quo minus languidius ſubrependo profundiores radices agant, impedire. Cum non niſi per ſuſcitatam inflammationem, abſceſſuum formatio atque maturatio expedienda fuerit, motuum vitalium citatiorem vtique inducere neceſſum erit rapidi-

pidi-

piditatem, ideoque *febrem facere*, et licet, et artis conuenit principiis; hac enim aut suppressa, aut, cum ob languorem defecerit, haud prouocata, efficacior materiae morbosae subactio, coctio, et expulsio, frustra expectabitur, omnium potius damnorum, ex hac negligentia oriundorum culpa, in medicum, ex timore aut ignorantia *iustissimae licentiae* parum memorem, merito cadet. Quodsi nunc ad illam deuenire luberet *vroscopiae* atque *vromantiae* licentiam, qua credulae nimium turbae vibiuis locorum imponitur, atque non solum morborum quaeuis genera, verum etiam symptomata, euentus, quinimo alia quoque fata, et nescio quid prodigiosi, ex lotio praenunciatur, vberrima profecto dicendi haud defutura esset materia; veruntamen, neque hanc mouere cupio camarinam, neque fusiorem licentiae medicae suscipere animus est enarrationem, qua, in prognosi nimium confidenter formanda vtuntur, qui, quantopere fama medici periclitetur, si quidem euentus praedictionibus haud respondeat, neque cogitant, neque sciunt. Neque de illorum quidquam commemorabo licentia, qui tincturas solares, specifica antipodagrica, antiphthisica, quintas essentias astrales, balsama mirabilia, pulueres vitales, et quae sunt alia panacearum et polychrestorum spectra, passim per schedulas in orbem volitantia, pomposis laudibus extollentes, sibi cum vita humana liberrime ludendi datam esse immunitatem, existimant. Etiamsi enim medico honorificum sit, si quod medicamentum, morbo cuidam prae aliis salubre, atque peculiari efficacia eminens, inuenire nouerit, si tamen ea sola de causa celebretur, vt specioso specifici aut vniuersalis remedii titulo, semper prudentioribus suspecto, emtores alliciat, atque tabidae inuentoris crumenae medeatur,

indecoram

indecoram istam, atque ab omni honestate alienam, improbare merito conueniet licentiam. Multa medico licent, sed *abusus* licentiae, haec quoque, quae licent, facile in culpam transfert. Licet medico, secretiora aegrorum vtriusque sexus intrare conclauia, licet ipsi occultas variorum morborum causas scire, licet ipsi multa tactu visuque explorare; sed hanc licentiam latius extendere, atque in modestiae et verecundiae praeiudicium, suique vituperium, isthac immunitate vti, aut procaciore garrulitate, quae reticenda sunt diuulgare, probum omnino dedecet medicum.

Huius probitatis memorem semper confidimus futurum

VIRVM PRAECLARISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM

DOMINVM

FRIDERICVM STEPHAN

LIBERALIVM ARTIVM MAGISTRVM, MEDICINAE BACCALAVREVM DIGNISSIMVM

qui, quamdiu in hac versatus fuit academia, id sedulo egit, vt non doctrinae solum vbertate, verum etiam morum ingenuitate commendaretur, atque optimam felicis atque conscientiosi medici dederit spem. Quo vero consilio, et quibus ducibus effecerit, vt nunc illustribus peritiae suae exornari possit praemiis, ab Ordine nostro ipsi decre-

decretis, ex vitae eius ratione, de qua ipse scripsit, intelligetur.

Natus sum Lipsiae anno seculi huius LVII. Patre IOANNE CHRISTIANO qui res salinas Senatus amplissimi curat, matre MARIA ROSINA DAEHNIA quam ante hos sex annos morte mihi ereptam doleo. Primos pueritiae annos in schola Thomana exegi, vsus omnibus qui ibi merent praeceptoribus inprimis tamen HOFMANNO; eodem tempore LANGIVS delineandi artis elementa me docuit. A. LXXIV scholam Nicolaitanam adii, et ab HÜBSCHMANNO gallicae anglicaeque linguae initia accepi. Anno sequente iter in Belgium institui, ex quo redux academiae nomen dedi, PÜTTMANNO Rectore. Clarissimorum virorum scholas, philosophicas CAESARIS, mathematicas BORZII, historiae naturalis POHLII et LESKII anatomicas BOSII et HASII, physiologicas LEONHARDI frequentaui. A. LXXVII Lugdunum Bat. me contuli, academiae albo insertus, fasces PESTELIO tenente. Non possum non quin hic insignis beneuolentiae BRANDTI M. D. cui a Cl. POHLIO commendatus eram, mentionem iniiciam, cuius suasu audiui ALBINVM de hominis natura exponentem, HANIVM chemiam et institutiones medicas, ALLAMANDVM physicam explicantem. Eodem tempore cum HENRICO nunc apud Ienenses historiarum professori iter per Belgium boreale cum BLANCKENHAGENIO esset faciendum, comes adfui. Post Lipsiam redux adii denuo scholas LEONHARDI b. POHLII KRAVSII et PLAZII. Primos in medicina honores obtinui ante hoc trienium, A. LXXIX ab amplissimo ordine vt ad examen admitterer petii; et magisterii honores impetraui. Post publicas lectiones *de neruis* habui,

bui, et schediasma *de Raiis* edidi, deinde historiae nanaturalis promouendi studii ergo, iter in Bohemiam feci, et factum est, vt anno praeterito Societas naturae scrutatorum quae Halae floret, non indignum me iudicaret, qui titulo membri societatis honoraretur. A. LXXXI ineunte Iun. Russicas regiones salutaui, et Petropoli vt plurimum vitam agens, insignem virorum quorundam erga me amicitiam expertus sum; quibus gratum meum animum declararem nisi, vt eorum nomina reticeam, modestia prohiberet. Hoc demum anno per Liuoniam Poloniam et Borussiam redii, nuperque alteri examini me subieci, veniamque cathedram adscendendi obtinui; in quo rigorosiore tentamine ita *Recte* stetit, vt summis honoribus dignus iudicaretur. Quod vt specimine solenni promereretur, Dissertationem suam inauguralem *de cancro*, me Moderatore adsidente, aduersus dissentientes publice propugnaturus est.

His omnibus peractis, ego quoque, quod mei est muneris, lubens peragam. Autoritate nempe *Procancellarii* ad solenniorem hunc actum clementissime atque legitime instructus, Candidato nostro plenam dabo potestatem atque Licentiam, summum Doctoris in arte medica gradum capiendi. Quod dum proximo *Veneris* die XXIII. Aug. facturus sum, *Vestram*, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PRINCIPES CELSISSIMI, ILLVSTRISSIMI COMITES, GRAVISSIMI VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES, nec non GENEROSISSIMI ATQVE NOBILISSIMI VNIVERSITATIS NOSTRAE LITERARIAE CIVES, honorificam, omni qua decet obseruantia atque humanitate, exoratam cupio praesentiam, atque facilem in audiendo breui sermone *de studii naturalis*

prae-

praeſtantia, patientiam. Cuius ſingularis beneuolentiae, meo Ordini mihique tributae, me gratiſſimum fore praeconem, hiſce ſpondeo.

P. P. Dom. XII. poſt Feſt. Trinit. A. R. G. MDCCLXXXII.

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA.